

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Secunda De Religione Eclectica Seu Prudentum  
ad Locum 1. Thessal. V.21**

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus  
Winter, Johannes Christoph**

**Argentorati, 1705**

**VD18 11641991**

Porisma I - §. 19

**urn:nbn:de:bsz:31-105849**

## DISSERTATIO II.

19

transfigurationem suam de monte, præcepissetq; discipulis suis, ne cuiquam dicerent, quod viderant, donec relurrexisset Filius hominis à mortuis; *continuerunt sermonem istum apud se*, certe ita ut sæpiissime de eo cogitarent, meditarentur, nec paterentur memoria elabi. Quin & tam firmiter tenere & ligare significat, quam firmiter retinentur & ligantur peccata in cœlo peccatoribus impenitentibus, uti eodem verbo Syrus usus est. Joh. 20, 23. *Si quorum retinueritis (peccata) retenta sunt.* Certum ergo vel ex his esse potest, finem esse probationis ab Apostolo commendatae certitudinem fidei immotam, indubiam, non fluctuantem in corde, ejus quod bonum & probum repertum est, ad hoc enim restringendum esse finem res ipsa non tantum docet, sed & verbum quod expressum ponitur in textu narr. pulchrum, bonum, honestum, & apud Syrum

rectum, decorum, id quod tam ad vitam & mores pertinere, quam ad fidem & doctrinam, supra quoque §. 12. evictum est, dum probavimus omnia sive vitam, sive fidem respiciant probanda esse; ex quo per se sequitur id quod bonum & pulchrum est, sive fidem, sive mores concernat, esse quoque retinendum, custodiendum, arcte complectendum, nec dimittendum unquam velut divino verbo certum, DEO placens & mandatum. Atque sic vero finem ultimum ex parte hominis salutem æternam, & fidei salutisque certitudinem non excludimus, sed includimus potius, utpote quæ ex his vel sequitur necessario, vel etiam sub istis comprehenditur, quod ultimum etiam b. Dannhayverus notavit de probat. Spirituum p. 32. & 33. ad 1. Joh. 4, 1. quæ & ex loco nostro nos evicimns, ut pro explicatione hujus loci, & præsentis instituti ratione sufficere utique nobis videantur.

§. 19.

IV.  
Porismata,  
§. 19.

Ex his jam Porismata atque conclusiones certas deducimus, quarum fontes & principia in ipsa textus explicacione indicavimus, è quibus Porisma I. hoc est, *Examen eorum quæ fidem & mores concernunt pertiner ad omnes homines, nullo excluso.* Fluit hoc ex eo, quod §§. 4. & 5. de subiecto evictum est; non

C 3

ergo

ergo ad eos solum restringendum est, qui Theologi sunt, h. e; Scripturis rebusq; divinis indagandis occupati sunt, aut incumbere illis debent; siquidem præter Apostolos Apostolicosq; viros, tum apud Thessalonicenses plures reperiebantur, Apostolo nihilominus scribente πάντως δοκιμάζετε, omnia probate. Neque ad eos solos restringendum est, qui prudentes dicuntur, dicit Geschyrten / die auf allen Religionen das Beste wehren; tales enim Apostolus speciatim nec novit, nec allocutus est, quales hodie cernere liceat, quin potius, si tales prudentes sint (ut esse sibi videntur) qui religionem Eclecticam statuunt, ii sunt quales depingit Apostolus 1. Cor. 1, 21. Postquam in sapientia DEI non cognovit mundus per sapientiam Deum, bene placuit DEO per stultitiam predicationis salvare credentes; siquidem Iudei signum pertinet, & Greci sapientiam querunt; certe his solis examen relictum non est, talibus enim prudentibus est μωρία stultitia; unde simplicibus corde hoc quoque competit examen, non enim multi sapientes secundum carnem, neque multi potentes, neque multi nobiles; sed stulta mundi elegit Deus, ut sapientes pudefaciat, & infirma mundi elegit Deus, ut pudefaceret valida, docente Apostolo iterum 1. Cor. 1, 26.27. Et quis quæso laicos quibus & vita & fidei sua ratio reddenda erit in extremo die, ab hoc excludet examine, qui utique suā, non alienā fide victuri sunt fideles Habac. 2. 4. Gal. 3, 11.

Porisma  
II.

PORISMA II.

Non tantum licitum, sed & necessarium est, ratione mandati & medij, ut omnes in ea inquirant, que factu & creditu necessaria sunt, ea excutiant quæ dicuntur, eaque examinent, ut certi sint in fide, eorum quæ credunt & faciunt. Necessitatem mandati esse, ex Apostoli loquendi modo imperativo certum satis & apertum etiam est; sed & de necessitate medij nemo ambigere potest, qui noverit, fidem notitiam requirere præter assensum & fiduciam, & quidem non fluctuantem & dubiam, sed qualis acquiritur Examine & probatione eorum quæ proponuntur facienda & credenda juxta §§. 7. 8. 9. Hoc vero scrutinium medium esse, adeoque præceptum Apostoli necessitatem quoque medii continere palam est, ex mandato ipsius Christi Joh. 5, 39. Ego